

sterium. De Modo praedicandi. De usu testimoniorum e sacris Literis. De Universitatibus Scientiarum. De Promotionibus Academicis. De Disputationibus contentiosis. De Bello. De Litibus forensibus. De interiore Schola s. Spiritus. De ejusdem revelatione et illustratione interna. De Justificatione et imputatione meritorum Christi. De unione cum Christo. De ortu et efficacia verae Fidei. De Regeneratione. De Poenitentia. De Abnegatione sui et imitatione Christi. De cultu et Ecclesia exteriori. Quod plurimi Pastores tantum exteriora doceant. Quod plurimi personas accipiant, et ventris causa adulentur. De s. Coena. De confessione, absolutione et clavibus. De prava Ministrorum vita. De Methodo Reformationis christianae. Ingratam sane multis Ecclesiae Lutheranae Ministris operam locavit Autor, Academiae hostis, jam in Pietismum, jam in Anabaptismum inclinans, in Doctrina Coenae Calvinianus. Est et, ubi Fanaticum dicas. An in lucem alicubi eluctatus, aut productus fuerit, nescio.

DCXXXVIII.

R. 973

Codex chartaceus lat. Sec. XVIII. Folior. 27. f. maj. nitide sane, sed mendose scriptus Titulum praefert: *De Sacrosancto Trinitatis Mystério Lacinia Contra Socinianos. Admonitiones Quaedam Seu Prolegomena Huic Posteriori Editioni Addita, Adversus Recentes Ariomanitas, sive instaura-*

tores Errorum Arii Hærestarchæ. Varia hic notanda. Pertinere hanc *Laciniam* ad doctum Card. *Josephum Saenz de Aguirre Hispanum* ex Ord. S. B. Titulum usque ad τὸ *Admonitiones* novum esse; reliqua jam extare T. II. *Theologiae S. Anselmi* ab hoc Viro secundis curis edito *Romae* a. 1689. Quid igitur est? Tertiam moliebatur hujus *Theologiae* Editionem aetate jam proventus *Aguirrius Romae*, ubi etiam a. 1699. occubuit. Colligitur id ex Operum ejus recensu, de quo postea, ubi, postquam dixisset, Opus hoc III. Tomis prodidisse primum *Salmanticae* 1679—85. dein *Romae* 1689—91. addit: *Tomis prædicti denuo Romae in lucem exeunt &c.* Novae igitur huic Editioni parabatur *Lacinia* nostra, quae quidem, ut jam innui, *Prolegomena* Tomi II. continet; verum multis locis longius producta. Neque gravabor enumerare accessiones: *Proleg. I. n. 4. 6. II. 21. Proleg. II. n. 27. 34. Proleg. III. n. 39. 41. Proleg. IV. n. 43. 45. 46. 48. 52.* Post *n. 56.* duo *Numeri* novi inserti sunt, quaedam item medio *Numeri ult. infarsa.* Atque, ut specimen accessionum proferam, *Proleg. I. n. 4.* haec adduntur: *Juriseum nihil moror, adhuc novaturientem, et delirantem, post tot laudati Episcopi Meldensis aliorumque correctiones et concludentes impugnationes. Memor enim sum verborum Apostoli ad Titum C. 3. v. 1.* Haereticum hominem post unam et secundam correptionem devitasciens quia subversus est, qui ejusmodi

modi est, et delinquit, cum fit proprio iudicio condemnatus. *Id unum obiter moneo, inter omnes Heterodoxos sui ipsorum amantes, et qui ἀρεγοῦσθαι (ut Aristophaneo verbo utar) neminem esse, qui levius, aut facilius, aut inanius sibi somnia fingat.* Accessiones aliae aut nova argumenta ad stabilienda Adserta continent, aut recentioribus Adversariis occurrunt. *Prolegomenis Tomi II.* ita auctis succedunt in Codice *Addenda quaedam et corrigenda in hoc Tomo II. editionis Salmanticensis, et prioris Romanae.* En novum Argumentum, *Laciniam* hanc tertiae Editioni, id est, *Romanae secundae* destinatae fuisse. Pertinent vero haec *Addenda*, inter quae etiam aliqua *Corrigenda* sunt, ad Pagg. 54. 59. 64. 65. 67. 122. 490. 681. 691. et 785. quas cum in edit. *Rom.* contuliffem *Mspto*, re ipsa omnia haec deesse comperi. *Addendis* subjunxit, nescio cur, *Librarius Elogium D. Augustini* ad verbum descriptum ex edit. *Rom. prioris T. III.* item e *T. I.* ea, quae in *Admonitionibus* praemisit *Aguirrius* de editis a se *Libris*, ab iis verbis: *Quoniam autem accidere potest, ut ante conclusam* &c. Hujus vero adparet ratio; ad modum enim *Retractionum Augustinianarum* Vir pius et modestus iis partim inseruit quaedam, partim ad finem adiecit, quae mihi visa sunt cum *Lectoribus* communicanda. Et quidem ad *Philosophiam* suam *Novam* — *Antiquam* addidit: *In toto isto opere solum displicet mihi modo nimia illa subtili-*
ibom

tas, qua saepe usus fui in rebus philosophicis dialecticis et metaphysicis, sive tandem in Cursu philosophico. Vix enim in iis aliquid utilitatis invenio aut detego, nisi solam exercitationem ingenii, ad quod deservire possit, circa studia gravioris momenti, aut sacrae Theologiae vel studiorum moralium. Haec dixerim modo in hac devexa aetate, praesertim habita ratione status monastici, ad quem non spectat docere, aut docuisse, nisi solidiora et quodammodo opportuna ad salutem veram et profectum lectorum. Hanc itaque Praemonitionem quasi Testamento meo ultimo consignatam habeant quae so ob oculos pii Lectores mei, praesertim *Benedictinae Regulae Professores.* Ignorarunt hanc Praemonitionem *Campidonenses*, qui 1722. *Disputationes* ex hoc Opere selectas f. ediderunt. Ad *Theologiam S. Anselmi* post adagium: *Δεῦτεροι θεογριδες σοφωτεροι* addidit: *Juxta quod semper detestatus fui quinque illa Dogmata Fanseniana in sensu obvio.* Ad *Defensionem Cathedralis S. Petri* a verbis: *Nullum hactenus Volumen* &c. omisit omnia; tacet etiam de edendo *T. IV. Theologiae S. Anselmi.* Denique a *Collectione Conciliorum Hispaniae* totus deinceps Textus noster abit ab *Editis.* Ibi enim *Collectio* haec inter *Tomos nondum editos* nuntiat, hic ut *Romae IV. Tomis* 1694. f. edita describitur. Ibi nulla *Bibliothecae Hispanae Veteris Nic. Antonii* mentio, hic ejus descriptio et laus cum addito: *Quare propriis expensis ac sollicitudine prelo*

1485

P O L E M I C I.

1486

prelo dari curavi hic Romae anno 1696. Demum, concluditur, publicae luci commisi anno 1697. quosdam alios Libros exiguos, quorum non auctor, sed exscriptor fui, veluti Meditationum S. Anselmi, itemque Orationum ejusdem cum quibusdam observationibus meis: ac praeterea Libellos quatuor de Imitatione Christi, sive de Contemptu Mundi, quibus praemisi Apologiam pro Joanne Gersen Abbate, veluti germano illorum Auctore, contra Recentiores quosdam, Anti — Arianismum, sex Tractatus contra recentes Arianos et Socinianos, Lugduni sub prelo, Anno Santo, Meditationes para todos los dias del Año sacadas de los Evangelios corrientes, Romae sub prelo. Postremum clausula: Omnia sub correctione S. R. E. et si forte aliquid excidit contra aliquem, atque erratum qualitercumque fuit (quod ignoro) penitus indidum esto, et melius sentientium judicio submitto. Josephus S. R. E. Card. de Aguirre; quae pariter in Editis non habetur. Nihil de hac Popularis sui Lacinia Editores novi Bibliothecae Hisp. Matriti 1783. qui tamen in Monito praevio ei jam pridem augendae et corrigendae operam dedisse crepantur. Si Catalogum Bibliothecae Card. Jos. Ren. Imperialis Romae 1711. f. excusum inspexissent, deprehendissent eam p. 7. typis editam Romae sine loco et anno in fol. Deprehendit vero solertissimus Adelungius, ut habes lit. A. Supplem. Jöcher. Ut quid igitur, si typis edita est, hic pa-

Denis Codd. Theol. V. II. P. II.

ginam implet? Quia nunquam in Bibliopolio publice veniisse, sed ab Aguirrii heredibus distributam solummodo inter amicos, atque ideo rarissimam autumo; neque tamen dicere habeo, utrum Exemplar nostrum e chartis Defuncti, aut e typis descriptum fuerit.

DCXXXIX.

Codex chartaceus lat. Sec. X-R. 24* VIII. Folior. 237. f. continet sequentia Scripta infelicis Mich. Serveti, seu, ut se ipsum ἀναρχαματους compellavit, de Reves Aragonis Villanovani post varios casus a. 1553. Genevae, agente cum primis Job. Calvino, flammis traditi e typo expressis Exemplaribus misera industria desumpta. I. quidem Libros VIII. de Trinitatis Erroribus, quorum Editio annum praefert 1531. et, ut communior est opinio, Hagenaee lucem vidit in 8. II. Libros II. Dialogorum de Trinitate. III. De Justitia Regni Christi ad Justitiam Legis collata, et de Charitate Capita IV. Et haec quoque praefixo anno 1532. Hagenaee in 8. simul impressa censentur. Ceterum notiora sunt omnia obscurissimi hujus Doctoris Eruditis, quam ut pluribus hic agere opus sit post Sandium, Niceronum, Vogtium, Reimannum, et praecipue Mospemi-

DCXL.

Codex chartaceus lat. Sec. X-R. 837 VIII. Folior. 248. f. est Corpus

A a

Con-